

270

268

274

264

279

259

319

219

369

169

Ende

Anfang

259

machinis aliisque armamentis hostili animo in Rhodum duxit et statione mari terraque firmata ingenti tumultu urbis moenia bombardis dilaceravit, porro S. Nicolai custodem portus dejecit, mōlendarum turres XIII prostravit, alias etiam turres et muros machinarum importunitatibus invalidavit, fossata urbis terrae reliquae coaequavit et fortalitia rupit. Verum cum omnem agrum insulae depopulatus fuisse, et Rhodios milites per novem et LXXX dies (D) cruentissimis proeliis vexasset, tum divino auxilio et clarissimi illius principis Magistri Petri Dambussa sollertia Turci omnes maxima ignominia et caede discessere. Ferunt autem, quod dum Turci ultimo impetu urbis moenia condescindissent numero ad XL millia, eo in conflictu vexilla Domini nostri Jesu Christi et beatissimae virginis Mariae, ac maxime Johannis baptistae Christiani erexerunt divinumque auxilium valido cum clamore imploraverunt, armati contra locum ingressus inimicorum procedentes, et hoc dum fieret, candidissima virgo cum clipeo et hasta in manibus apparuit, et quidam homo vili ueste obsitus, sed splendidissimo stipatus comitatu, praesidio militibus adfuit, quae visio non solum a nostris sed a Turcis etiam apertissime visa tantum eis terorem incusit, ut ultra progrederi non possent, sed aversi retrorsum, prolapsi de muro se ipsos peremerunt plurimum statimque solventes classem discesserunt, nihil ibi relinquentes nisi campum repletum cadaveribus et littus maris infectum humano sanguine, sique naves vulneratis repletas abduxerunt et multa millia corpora mortuorum suorum in littore combusserunt et in mare projecerunt; et multa alia memorabilia in hac obsidione contigerunt, de quibus confecta sunt diversa opuscula, et ego ipse, quia tunc in mari eram, confeci de hoc libellum singularem. Egregie tamen de hoc bello scribit quidam orator insignis, Guilielmus vicecancellarius Rhodiorum, quem ego vidi, ejusque inscriptionem inseruit dominus decanus Moguntinus suo peregrinario, cui legere placet ibi videat, ego vero persequar sequentia obsidionem, de quibus supra P. I. Fol. 18. feci mentionem.

Eodem tempore, Turcis in obsidione ea debachantibus, ego cum pluribus eram in Jerusalem, in reversione autem declinavimus de mari syriaco in mare creticum fugientes a mari asiatico Aegeo propter Turcos; sed quadam die galeam Venetianam obviam habentes, cum audivissemus, Turcos obsidionem Rhodiae solvisse, con-

17 \*